

THESAVRVS CHIRVRGIÆ,

CONTINENS
PRÆSTANTISSIMORVM
AVTORVM,

Vipote

AMBROSII PAREI PARISIENSIS.
IOANNIS TAGAVLTII AMBIANI
VIMACI.
IACOBI HOLLERII STEM PANI.
MARIANI SANCTI BAROLITANI.
ANGELI BOLOGNINI.

MICHAELIS ANGELI BLONDI.
ALPHONSI FERRII NEAPOLITA-
NI.
IACOBI DONDI.
Et
GVILELMI FABRITII HILDANI.

Opera Chirurgica

IN QVIBVS

NON SOLVM PERFECTISSIMA, TVMORES PRÆTER NATVRAM,

vulnera, vlcera, luxationes & fracturas ratio curandi;

Verum etiam humani corporis singularumq; partium exactissima anatome;

Curationes item multorum aliorum affectuum, rara obseruationes & varia medicamenta ad chirurgiam
pertinentia demonstrantur.

ANTE HAC QVIDEM DISIUNCTIM EDITA;

Nunc vero

In vnum collecta & ab omnibus mendis repurgata,

per

PETRUM UFFENBACHIVM,

REIPUBL. FRANCOFURTENSIS AD MOENUM
PHYSICVM ORDINARIVM.



FRANCOFVRTI,

Prodit typis Nicolai Hoffmanni, Impensa Iacobi Fischeri
Bibliopolæ.

ANNO MDCX.



DE ANIMANTIBVS, ET HOMINIS PRÆ- STANTIA.

LIBER PRIMVS.

De Brutorum animantium natura. CAP. I.

Brutorum
differentia.



Virtutum
in brutis &
stigia.

Lib. 8. ca. 27.

Vrforum a-
stutia.

Clysterum
inuentor seu
demonstra-
tor lbes.
Cataracta
decutienda
inuentio.
Phleboto-
mia inuen-
tio.

PRIVS QVAM ad humani corporis anatomen aggrediar, placet paucis bruto-
rum animantium naturas perstringere. Brutis inter se, penes naturam multum
interest. Ex his enim alia sunt animosa & audacia, alia timida, alia fera & agre-
stia: alia domestica: alia armentitia: alia soliuaga: quædam testis squamisque te-
cta, & munita: vt crocodilus, testudo, & piscium generis plurima: alia aculeis
spinisque. Equo vngula inest solida, & rigida, ceruixque tanquam generoso ani-
manti, pilis multis & setis horrida. Magnanimi Leonis corpus dentes, vnguesq;
adunci & cauda tuentur. Tauri cornu, apri exerto dente genuino tanquam ve-
nabulo sunt formidabiles. Lepori puido animali corpus nudum est & inerme, at in subsidium ad fu-
gam citum & velox id natura esse voluit. Quod enim sunt generosis animantibus arma, id sunt timidis
celeritas & fuga. Infinitæ sunt aliæ brutorum animantium admirandi artificii dotes, quas mente cala-
moue complecti vix licet. Nam si in ipsorum naturam diligentius inspicere volumus, adumbrata vir-
tutum vestigia cernemus, magnanimitatis, prudentiæ, fortitudinis, clementiæ, docilitatis. Multa enim
inter se charitate tenentur, vt vtilia sequuntur, declinant nocitura, congerunt conduntq; ad vitam &
victum necessaria. Tempestatum deniq; & aeris, clara dant præsagia. Multa homines docuerunt, sensu
sunt acerrimo & exquisitissimo, vocem ad numeros modulantur, partus solertem curam gerunt, natu-
ralis soli dulcedine tenentur: amicitia & castitatis iura religiosa colunt; armis instructa sunt, quibus &
vltro laceßere, & se tueri laceßita possunt, humanæ culturæ cicuranda se submittunt, humanas voces
reddunt & æmulantur, sibi mutuo occinunt: Reip. speciem quandam sibi constituerunt, eorumq; præ-
sentem sanitatem tueri, morbosque depellere possunt, notitiam habent, ex sese, minime ab hominib.
edocta: quin salubrium rerum magnam partem homines edocuerunt. Quæ res veterum philosopho-
rum permultos in eam dubitationem impulit, vt quærant, brutisne ratio inesset. Itaq; & sapiens Salo-
mon, diligentia & parcimoniæ exempla a formicis nos petere iubet, Esaias vero ferum & ingratum in
Deum animum Israelitis exprobrans, eos ad bouem & asinum ablegat; siquidem dominorum non
modo notitia, sed & amore tenentur. Vnde vero tot remediorum notitia, qua nunc medicinæ scientia
diues splendet, quam a brutis animantibus, vt est a Plinio proditum? Dictamni enim certas ad euellen-
da spicula vires, cerui nos edocuerunt, quando venatorum telis impetiti, relicta in corpore suo tela eo
remedio extrahunt. Idem Cretenses capras factitare, scripsit Aristoteles. Chelidoniæ herbæ ad visum
mira vis hirundinum documento innotuit, quod ea pullorum oculos illinire & roborare cernuntur.
Serpentes palpebris fœniculo illitis, senescentem oculorum aciem sibi acuere & restituere creduntur.
Testudo aduersus viperarum morsus satireia deuorata se munit, & tuetur. Vrsi contractum ex man-
dragoræ vsu venenum, formicarum esu depellunt. Iidem ventris segnitiam, quam sibi ex veterioso in
speluncis sopore contraxerunt, Ari herbæ esu castigant. Mira vero ipsorum est in alliciendis & irretien-
dis formicis astutia; formicarum cauernas seu foramina taciti adeunt, illicque humi toto corpore velut
exanimes fusi, linguam saliuam madidam exerunt, nec ipsam ante in palatum reuocant, quam eam for-
micis humoris dulcedine illectis differtam senserint, hocque deuorato tanquam cathartico, noxios,
quibus grauantur, humores per intestina depellunt. Canes vulgo cernimus gramine deglutito, quod
inde & dens canis dicitur, stomachum sibi vomitu mouere. Porci, fluuiatiles astacos venantur, cum se
agrotare sentiunt. Palumbes, merulæ, & perdices, lauri foliis se purgant. Columbi, turtures, gallina-
ceumq; omne genus, parietaria humorum sibi sarcinam leuant. Ibes ciconiæ haud dissimilis Clysterum
vsum nobis demonstrauit; dum enim humorum noxiorum copia se degtauari sentit, rostro aqua mari-
na impleto ea se parte proluit, qua ventris onera reddi maxime salubre est. Decutiendarum oculi cata-
ractarum inuentio capræ accepta ferenda est, quæ fortuito ad spinosos frutices allisu obstruentem lu-
mini suo & pupillæ cataractam deiecit, sicque visum recepit. Inuentæ Phlebotomiæ beneficium debe-
mus Hypotamo, fluminis Nili equo incolæ, gulosus enim natura, cū se sanguinis copia opprimi sentit,
ad acutiores ripæ cannas affricto femore sibi venam pertundit, qua superflui sanguinis onus a se exigit,
sistitq; cum par est, volutato per crassum & obstruentem limum corpore. Testudo comestis forte ser-
pentis

A Crasso murenam in piscinia fuisse adeo cicurem, & condocefactam, ut illi ad arbitrium esset obsequēs. Itaque velut domesticæ & mansuefactæ belluæ nomen, imposuerat, quo aduocata accurrebat. Quare mortuam Attratus velut filiam luxit. Quod ei collega C. N. Domitius tanquam probum cum obiiecisset, retrorsit tres ei mortuas coniuges, quarum nullam luxisset.

Quod Bruta homines docuerint arma polire, acueri, & ex insidiis hostem adoriri. CAP. XV.

Militēs id studiose agunt, ut arma à rubigine tueantur, Itaque ea sæpe politori polienda tradunt. At in hoc curæ genere permulta illis bruta non cedunt: Nam & Apri dentes ad pugnam acunt: Elephantēs vero, quod intelligant alterius suorum dentium acumen, suffodiendo plantas radices, unde cibum capiant, auellendo hebetari, alterum intemeratum seruant, nulliusque rei contactu atteri patiuntur, ut in pugna aduersus Rhinoceros & alios hostes possit esse vsui. Sed in Rhinocerotis ingenio hoc venit valde notandum, quod cum aduersus Elephantem perpetua illi sint odia, quo tempore se ad pugnam adornant, cornu ad rupem tanquam ad corem acuit, nec Elephantis aliam partem quantum fieri potest appetit, quam ventrem, quod nouerit, illam mollitie esse eiusmodi, quæ noxæ facile peruia sit. Id animal longitudine Elephantem æquat, at altitudine suppar est, ob crurum breuitatem, colore est buxæo multis maculis distincto.

Rhinocerotis contra Elephantem pugnaturs astutia.

Typus Rhinocerotis, & Elephantis: quem ad modum armati in pugnam prodeant.



De Leone, Ichneumone & aliis, quæ minime terrentur animantibus.

CAP. XVI.

Leo semper incedit vnguibus contractis, & sua tanquam vagina conclusis, non modo ne per impressa pedum vestigia comperiri & comprehendere possit, sed multo magis, ne incedendi continuo attritu vnguium acumen hebetetur & obtundatur. Tauri decertantes cornua intentant, seque cordatorum militum instar, ad certamen animant & excitant.

Leonis in incedendo prudentia.

DIchneumon strenui militis ad pugnam accinctum & apparatus æmulatur, itaque luto conspergit se, ac tanquam lorica vndique cingit & munit, tum maxime, cum contra Crocodilum ineunda pugna. Quem quantumlibet magna se mole ferentem in fugam vertit, pusillum id animal. Hoc certe singulari naturæ prouidentia immanibus omnibus belluis inesse, iam pridem notatum est, ut vel minimis rebus unde nullum potest contingere periculum, terreantur. Sic enim Elephantem porci grunnitu, Leonem galli cantu obtupescere memorant, quamuis de Leone illud sit proditum, nullo metu adduci posse, ut faciem auertat. Eiusmodi terrores, pauores & consternationes ex leui admodum & ridenda occasione, nulla certa de causa natas, ingentes militum copias & robore insignes exercitus fudisse, & in fugam vertisse, tum antiquis, tum nostrorum temporum historiis est proditum.

Maximèq; minimis terrentur.

De Gallis. CAP. XVII.

Aves sunt regis Galli, itaque & crista tanquam corona regia insigniuit illos natura, ac quocumque locorum venerint, animis atque audacia regnant, rostro & calcibus pugnant: martia vero tanquam voce Leonem alioqui ferarum regem terrent.

Gallus esse dux regis & martiam.

De Cuniculis. CAP. XVIII.

Cuniculi nos docuerunt suffodiendæ terræ artes, quibus turræ urbes & æquaræ cælo machinas substracto fundamento, solo æquamus. Scripsit M. Varro in Hispania haud incelebrem pagum locum arensis adeo ingenti vi cuniculorum effossum fuisse, ut dirutis & prostratis ædificiis omnibus, coacti fuerint incolæ alio migrare & nouas sedes querere.

Suffodiendi solertiæ cuniculos nos docuisse.

D

De Lupis